



EXCLUSION DEL «BONUM FIDEI»

Sacra Romana Rota

CORAM

Henrico Ewers

PONENTE

Bononien

Nullitatis
Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(OMISSIS)

FACTI SPECIES

1. Plures abhinc annos sibi primum occurrerant Maria et Sergius, cum tandem ad nuptias pervenerunt. Equidem puella, suae familiae opibus ditata, adhuc in studia ad bonarum artium lauream adipiscendam incumbebat, ubi obvium habuit juvenem, qui tunc nondum medicinae curriculum apud Universitatem compleverat. Attamen, vix non statim mulier ferventi incensa est amore in Sergium, qui sane numquam rependit illi flagrantem sensum.

Verum, tempore autumnali anni 1955 Mariae pater villulam X. emit, concurrente in expensas Sergii matre, eamque filiam donavit; ibidem ex tunc domicilium habuerunt ipse Sergius, qui interim lauream doctoralem adeptus erat et medicinam iam exercebat, eiusque mater vidua; consilium attamen inter sponsorum familias fuit ut domus futura esset domicilium eorundem post celebratum connubium. Quod reapse, statim ac et mulier sua perfecit studia, initum est die 19 mensis octobris anno 1957, in parocchiali ecclesia Sancto Michaeli Archangelo, intra fines X. archidioeceseos, viro trigesimum quartum suae vitae annum agente, sponsa vigesimum septimum. Mulier immaturam sobolem mense iulio subsequentis anni peperit; sed puer paulo postea mortuus est.

Id quidem haud favit coniugum convictui; sed et graviora eum perturbaverunt et brevi ad naufragium duxerunt. Vir etenim, quam ante nuptias nexuit consuetudinem amoris et stupri cum quadam puella olim

saltatrice, ac forte numquam interceptam, vix non statim post celebratum matrimonium renovavit; quod ubi tandem uxor certo comperit, separationem ineunte anno 1960 de facto instituit. Eiusdem anni die 21 mensis octobris, coram civili Magistratu separatio ex mutuo coniugum consensu confirmata et rata habita fuit.

Insuper mulier, oblato libello sub die 10 mensis maii anno 1965 penes regionis R. ecclesiasticum Tribunal, nullitatis suum matrimonium accusavit duplici ex capite, nempe exclusionis boni fidei a viro necnon vis et metus ipsi viro incussi.

Ampla instructione peracta, die 18 mensis octobris anno 1966 primi gradus sententia, relecto capite metus tamquam non probato, edixit constare de irritis nuptiis ex denegata a convento fidelitatis coniugalis obligatione. Ex officio appellavit Vinculi Defensor atque causa, ex rescripto Signaturae Apostolicae, pro uti tunc opus fuit, diei 2 mensis martii anno 1967, definienda in secundo iudicii gradu delata est ad S. R. Rotam. Sed Turnus Rotalis, decisione diei 6 mensis februarii anno 1968, negative ad utrumque respondit caput.

Cum igitur actrix sequentem seu Nostrum appellasset Turnum, die 29 mensis iulii anno 1968 coram infra-scripto Ponente dubium concordatum est sub consueta formula: «**Utrum sententia Rotalis diei 6 m. februarii a. 1968 confirmanda an infirmanda sit, in casu**». Institit dein actricis Patronus ut iterum audirentur conventus et testis quaedam; quin causae instructio adhuc completa fuit per excussionem plurium testium necnon actricis, idque sive ex officio sive ex ultronea comparitione cuiusdam testis sive iterum ex partis actricis instantia.

Quibus igitur peractis et defensionibus hinc inde exhibitis, tandem hodie Nobis sententiam in tertio iurisdictionis gradu laturis causa definienda proponitur.

IN IURE

2. Bonum fidei, quod alteram matrimonii essentialem proprietatem constituit (can. 1013 par. 2) adeo ut nullus sit eius consensus qui positivo voluntatis actu in contrahendo illam excludat (can. 1086 par. 2), accipi potest vel quatenus fides in seipsa spectatur vel quatenus in suo principio.

In priore sensu fides pertinet ad usum matrimonii, per quem pactio coniugalis servatur, et sic connubium aliquando invenitur sine fide, quia esse rei non dependet ab eius usu. In altero sensu pro fide accipitur debitum servandi fidelitatem, quod ex ipsa pactio coniugali causatur, quodque si excludatur non fit matrimonium (cfr. Supplem. q. 49, a. 3).

3. Connubium exornari debere essentiali fidelitatis proprietate nuper sollemniter, catholicam renovans doctrinam, edixit Oecumenica Synodus Vaticana II.

Coniuges enim parentesque christiani «oportet ut propriam viam sequentes, **amore fideli**, totius vitae decursu se invicem in gratia sustineant, et prolem amanter a Deo acceptam christianis doctrinis et evangelicis virtutibus imbuant» (Const. **Lumen gentium**, num. 41). Sponsi et coniuges equidem «**indivisa dilectione**» coniugium nutriant oportet: «Amor ille mutua fide ratur, et potissimum sacramento Christi sancitus, inter prospera et adversa corpore et mente indissolubiliter fidelis est, et proinde ab omni adulterio et divortio alienus remanet. Aequali etiam dignitate personali cum mulieris tum viri agnoscenda in mutua atque plena dilectione, unitas matrimonii a Domino confirmata luculenter apparet» (Const. **Gaudium et spes**, num. 49).

4. Verum quae in Nostris Fori iurisprudencia potiores occurrunt ad rem questiones latius sunt enucleatae in una Nanneten., Nullitatis Matrimonii, decisio diei 11 m. octobris a. 1969 **coram infrascripto Ponente**; ad quam heic remittimus. Sufficiat ideo pauca in casu recollere.

Equidem accipi debet principium, quod penes ad nullitatem consensus inducendam requiritur positiva detrectatio tradendi alteri parti exclusivam potestatem sui corporis in ordine ad actus coniugales, nec sufficere meram intentionem laedendi fidem coniugalem (cfr.: decisio diei 30 m. ianuarii a. 1968 **coram Anné**, num. 3; — decisio diei 18 m. maii a. 1968 **coram Fagiolo**; — decisio diei 28 m. maii a. 1969 **coram Pucci**).

Nec attamen in re sermo esse potest de **iure** sibi a contrahente servato adulterandi (uti exigit v. gr., decisio diei 27 m. iunii a. 1960 **coram Mundy**), aut aliis personis praeterquam coniugi tradendo in proprium corpus: etenim eiusmodi «ius», idest ad delictum adulterii vel ad coeundum cum aliis praeterquam cum coniuge, nulli homini obiective esse potest, si vero lex ethica, nec aliter nos censere possemus, in humanis admittitur; id e contra in libera contrahentis voluntate unum est (etsi per matrimonii sacrilegium), nempe facultas non tradendi alteri coniugi ius exclusivum: quod contra matrimonii substantiam est, ideoque consensus nullitatem inducit.

Recolendum insuper est: «Merum factum negativum, quo aliquis intentionem non habeat probrosum commercium dirumpendi, non constituit positivam intentionem contra unitatem» (decisio diei 17 m. ianuarii a. 1968 **coram Bejan**, num. 8).

Tandem Patribus haud est probatum assertum quod

in appellata sententia legitur, nempe: «Factum, etsi plene probatum, commercii amatorii cum tertia persona iam ante nuptias initi et postea prosecuti, vel immo intentio iam ante matrimonium declarata commercium illud post nuptias non intermittendi **per se ambigua est**, nec in se inspecta, satis est, ut praesumptio canone 1086 par. 1 statuta infirmetur» (cfr. **in iure**, num. 3).

E contra, infrascripti omnino adhaerendum sibi esse censuerunt principiis expositis in una Mediolanen., Nullitatis Matrimonii, decisio diei 30 m. octobris a. 1963 **coram De Jorio**, nempe: «Pro certo habemus excludere bonum fidei et ideo invalide ex hoc capite contrahere virum, qui, dum consensum praestat, propositum gerat non dimittendi concubinam, quacum consuetudinem stupri servare constituat: non tradit enim comparti ius exclusivum in proprium corpus. Item invalide contrahere censem mulierem, quae in nuptiis ineundis propositum, actuale vel virtualiter perseverans, gerat corporis sui copium faciendi et aliis viris, quamvis ne cogitet quidem de iure in proprium corpus tradendi praedicti: in hypothesi enim mulier non assumit obligationem servandi fidem, quod satis superque habemus ad matrimonium irritandum» (cfr. etiam in una Romana, Null. Matrim., decisio diei 13 m. iulii a. 1968 **coram De Jorio**, num. 10).

Qui etenim ita contrahunt, dicendi sunt revera in ipsa coniugali pactione excludere debitum servandi fidem, sine quo matrimonium esse non potest.

IN FACTO

5.—Causa Nobis definienda est ex uno capite exclusionis boni fidei, cum de asserto metu in virum conventum duplex conformis negativa decisio iam lata sit.

Ne autem infrascripti videantur admittere velle quaedam minus recte prolata in animadversionibus Vinculi Tutoris deputati, claritatis gratia quae sequuntur sub limine adnotari debent. De ratione procedendi in causis ubi simul proponuntur capita metus et simulationis, iam in quadam decisione diei 16 m. octobris a. 1968 **coram Bejan** clare assertum est, si matrimonium nullitatis accusetur simul ob **totalem** simulationem et metum, haec duo capita nonnisi subordinate tractari posse. Recte igitur scriptum legimus in alia decisione diei 29 m. aprilis a. 1964 **coram De Jorio**: «...is matrimonium totaliter simulat qui nullum in idem consensum praestat. Nunc autem consensus non praestitus declarari nequit coactus vel alio voluntatis vitio infectus».

Si autem cumulentur simulatio quae dicitur **partialis** et metus, in priore decisione citata merito docetur haec duo capita non necessario requirere subordinatam tractationem; simulatio enim partialis, cum non excludat omnia elementa essentialia integri consensus, componi potest cum actione nullitatis ex capite vis et metus, utique dummodo certo constet de simulatione **tantummodo partiali**. Nam si dubia sit natura consensus praestiti, tunc nullitatis matrimonii ex uno tantum capite pronuntiari potest (cfr. ad rem etiam decisionem diei 18 m. decembris a. 1968 **coram De Jorio**).

Quae per transennam revocare Patres duxerunt spectantes ad quasdam Vinculi Defensoris deputati asseverationes, quas quidem ipsi haud valuerunt probare, quamvis eadem nullum respectum directum habeant ad causae in hoc gradu meritum.

6.—Verum, de causae merito infrascripti Patres, omnibus perpensis, censuerunt non sustineri praecipua decidendi motiva, quibus appellata Rotalis sententia nititur.

Non sustinetur aequivocatio in quam incidit praefata decisio circa verba (inferius latius inquirenda), quibus usus est conventus in suo primo interrogatorio, quaeque, iuxta Patres praecedentis Turni, ostenderent fuisse ipsam viri amasiam sollicitam de ineundis a convento nuptiis cum actrice. Quae ad rem deducuntur a Patrono recte et ratione inlata sunt aestimanda.

Exinde, logice profluit non destitui vi probandi quae a testibus deponuntur circa contrarium animus amasiae eiusdem quoad initas a convento nuptias.

Neque videntur cum certitudine accipi posse quae appellata sententia asseruit circa vim argumenti deprompti ex litteris conventi ad amasiam, quae censentur **post** nuptias conscriptae. Totus contextus, e contra, conciliari nequit cum conclusionibus eiusdem decisionis.

7.—Conventus coram iudice enarravit, servato temporis ordine, adfuisse inter partes quandam mutuum voluntatem et studium, sua ex parte vero exstitisse «soltanto e sempre sola simpatia», dum mulier «dimostrava di volermi veramente bene».

Equidem partium consuetudo omnino adprobationem habuit matris Sergii, potissimum quia matrimonium cum actrice «avrebbe migliorata la nostra condizione economica —ait vir—, molto precaria allora, ed avrebbe data a me la possibilità di affermarmi in campo professionale».

Pressius, de sua agendi ratione erga Mariam Sergius asseruit: «Nei nostri incontri io mantenevo un comportamento freddo e distaccato e non certo di fi-

danzato». Quin immo vir contendit se aperte ostendisse suae matri aversionem in nuptias cum actrice, sed «lei (scilicet mater) intervenne violentemente, dicendomi che assolutamente non dovevo fare una cosa simile, considerata la nostra situazione, la parola data e l'ambiente in cui esercitavo la professione, per cui avrei potuto perdere buona parte dei miei clienti».

8.—Sane, in praesenti iudicii gradu, non amplius disceptatio fieri potest de capite metus in virum; attamen ambigendum non est, iuxta certam Patrum sententiam, conventum haud prosecutum esse amore suam sponsam, idque ex eiusdem inclinatione et vehementi affectu erga aliam puellam.

Vel appellata decisio merito animadvertit atque admittit: «Profecto, constat virum aliam puellam inde ab anno 1953 amore ardenti prosecutum esse, ut ex epistulis viri ad istam missis patet atque ab ipso fatetur, et a testibus, passim in actis, confirmatur. Exinde, vero amore in sponsam non flagrabat, ut etiam ex epistulis ad hanc missis facile eruitur, et demonstratur diuturna procrastinatione nuptiarum» (num. 5).

Existimarunt etenim appellati Patres defuisse in casu gravem coactionem, sed liquido admiserunt defectum amoris erga sponsam in viro qui potius matrimonium ex opportunitate et commodo suo inivit.

9.—Re sane vera, uti adhuc conventus contendit, ipse ferebatur in aliam puellam eique «protestai —ait— tutto il mio amore, ma le feci presente la situazione in cui mi ero venuto a trovare, non solo a causa della villa, dove abitavamo io e mia madre, villa che apparteneva alla Marisa, ma anche e soprattutto perchè io mi sentivo molto legato a mia madre»; matrimonium vero cum actrice «avrebbe migliorata la nostra condizione economica, molto precaria allora, ed avrebbe dato a me la possibilità di affermarmi in campo professionale».

Dum igitur Sergius sponsalium tempus agit cum actrice et ad matrimonium, ex opportunitate nisi ex coactione, paulatim pergit, ipse alteram puellam, nempe Mirellam frequentare incepit et cum ea stupri consuetudinem instauravit pluribus iam annis ante nuptias, nec umquam fregit; tandem cum amasia, post separationem coniugalem, convictum more uxorio statuit hodieusque tenet, bina ex ea suscepta prole.

«Io allora —refert vir— frequentavo un'altra ragazza Mirella, quella stessa con la quale convivo. Con questa ragazza fin da allora ammettevo rapporti intimi. —Ho conosciuto questa ragazza in ospedale nel maggio 1953. Frequentavo assiduamente questa

ragazza perchè mi attraeva e fisicamente mi piaceva... —Ho continuato a frequentare sempre questa ragazza anche nel periodo che frequentavo la Marisa, fino al matrimonio e sempre anche dopo, senz'alcuna interruzione».

10.—Quod quidem attinet ad suam intentionem in contrahendo matrimonio cum actrice, conventus contendit se connubium inivisse cum voluntate non assumendi obligationem ad fidem coniugalem servandam, neque ad prolem neque ad vinculi indissolubilitatem, «perchè avevo intenzione —fatetur— di continuare la mia relazione con la Mirella». Immo addit se pro nihilo existimasse matrimonium cum actrice illudque habuisse tamquam non existens atque asserit: «Avrei voluto che al posto di Marisa ci fosse stata Mirella. Non potevo quindi pensare di legarmi per sempre con la Marisa ed avere l'intenzione di mantenermi fedele a lei, perchè volevo continuare ad avere rapporti con la Mirella».

Ex hac viri iudiciali confessione patet non agi de mero facto negativo, scilicet de non habita intentione abrumpendi aut finiendi consuetudinem sexualem cum amasia, sed adfuisse potius in viro positivam voluntatem servandi commercium amoris cum ista, nempe saltem implicitam intentionem reiциendi fidem, denegando sponsae ius exclusivum in corpus et quidem firmiter definiteque obligationem fidelitatis respuendo.

11.—Reapse eiusmodi assumptio viri conventi quod est petitum actricis ad obtinendam nullitatis sui matrimonii declarationem ob exclusam a sponso essentialem unitatis proprietatem in contrahendo, ex actis Patrum iudicio probationem certam accipit. Causae tabulae etenim, in sua summa inspectae atque saltem in substantialibus, sufficienter ostendunt virum conventum exclusisse positive bonum fidei, saltem quod spectat ad assumendam fidelitatis obligationem. Luculenter imprimis constat ex actis, quod et appellata sententia probavit, de prava consuetudine viri cum amasia ante nuptias incepta et statim postea resumpta, immo numquam re intercepta. Totius quaestionis caput reducitur ad inquirendum utrum Sergius, ante nuptias, simpliciter providerit aut statuerit resumptionem eiusmodi consuetudinis, an e contra intentionem, et quidem positivam, foverit elicerique recusandi fidelitatis obligationem suae uxori. Sane quae a testibus referuntur circa agendi rationem conventi, sive ante nuptias, sive post illas contractas constanter servatam, obiective non explicantur nisi admittatur positiva exclusio, saltem per implicitum actum, obligationis fidelitatis.

Etiamsi probatio testimonialis omnino cogens aesti-

mari non posset (quod quis contenderet si spectaret ad satis ambiguas declarationes matris conventae conlatas cum illis rev. De Maria: quae, attamen, ex se solae destruere non valent tot alias probationes actrici favorabiles), saltem agnoscendum esset tuto probationem indirectam, vi praesumptionum haustam, adeo urgentem esse ut morali cum certitudine dicendum sit constare de nullitate consensus a convento praestiti ob exclusam positive fidelitatem. Ex reiecta a convento animi propensione in actricem, atque ex admissis ab eodem in amasiam impuro amore, ne vix quidem credi potest, re psychologicae spectata, talem virum fovere voluisse meram amicalem moratamque consuetudinem cum amasia.

Facta, in actis probata, de quibus statim agemus, sat ostendunt conventum, in ineundo connubio, numquam suscipere voluisse obligationem servandi fidelitatem coniugalem. Nullum dubium insuper ex tabulis scaturit quin conventus tum ante cum post nuptias turpiter omnino se gesserit.

Animadverterunt praeterea Patres sufficienter constare passionem conventi erga amasiam nullum invenisse obstaculum in lege morali.

Demum in casu exclusio obligationis fidei probatu facilius est, cum agatur de tertia persona **determinata** quacum conventus iam ante matrimonium turpes nexuit amores, cuique, post repetitas sexuales commixtiones, stabiliter adhaesit per unionem more uxorio et prolem ex eadem bis suscipiens.

12.—In dubium vocata est conventi intentio firma et constans excludendi bonum fidei sive propter ipsius declarationem, se scilicet esse catholicam «praticante», sive propter agendi modum inter virum et amasiam statim post nuptias. Quapropter ipse iterum coram N.S.T. interrogatus fuit.

Conventus reapse nuper confirmavit suam pristinam asseverationem factam in primo interrogatorio quoad exclusionem boni fidei: «io, quando sposai la Maria, la sposai colla intenzione di continuare ad avere rapporti con Mirella. Pur essendo cattolico, in quanto battezzato, non mi posi allora —ait— il problema che la mia coscienza di cattolico non poteva approvare tale mia intenzione, perchè era troppo forte e prevalente la mia volontà di continuare ad avere rapporti con la Mirella. Consideravo, quindi, il mio matrimonio con la Maria una pura formalità, in quanto ero stato costretto a celebrarlo da mia madre». Exinde patet omnino viri voluntas non tradendi coniugi ius exclusivum in corpus.

Nec Patres nimis immorandum esse censuerunt super difficultatibus obiectis ex quadam incongruentia inter conventum et amasiam circa eorundem consu-

etudinem statim post nuptias celebratas vel ipso nuptiali die.

Quae etenim nunc Mirella in iudicio asseruit, nempe: «Sergio sapeva che io mi trovavo presso la signora Maestri perchè c'eravamo messi d'accordo qualche giorno prima», ea iampridem testis in suis depositionibus retulerat. Etenim in primo interrogatorio X. reddito ipsa contendit: «Non abbiamo mai interrotto le nostre relazioni»; «il Sergio mi diceva che sposava quell'altra ragazza per non far morire sua madre, ma che intendeva continuare la sua relazione con me». Atque iterum a Tribunali primi gradus ex officio vocata ita deposuit: «Io stessa avevo detto a Sergio, qualche giorno prima, che sarei andata in casa dell'Igea». Conventus autem nuper adhuc interrogatus, confirmans substantialiter quae antea asseruerat, retulit die nuptiarum se conatum esse videre amasiam, hancque aegrotam cognovisse; sed quibusdam elapsis diebus ipsi consuetudinem sexualem resumpserunt, prouti in conventionem eorundem fuit iam ante nuptias, nec umquam dein interceperunt.

13.—Obicitur autem conventum una cum amasia consensisse ante nuptias ut consuetudinem abrumperent ob imminens matrimonium. Etenim appellata sententia, perpendens primam conventi depositionem, haec retulit viri verba: «io mi sentivo molto legato a mia madre e non potevo assolutamente andare contro la sua volontà, ed **essa** pure a conoscenza della mia relazione con lei (nempe cum Mirella), voleva assolutamente che io sposassi la Marisa»; atque intellexit per illud «**essa**» designari **amasiam** conventi. Existimarunt igitur appellati Patres etiam istam amasiam voluisse ut Sergius uxorem duceret actricem.

E contra ex contextu clare patet conventum locutum esse **de sua matre**, de qua ipse egerat in suo sermone. Mater enim, valde infensa Mirellae, vehementissime instabat apud filium ut Mariam duceret «appunto per le ragioni suddette», uti suam phrasem concludit conventus. Atqui hae «ragioni suddette» fuerunt utique illae rationes oeconomicae quas vir exposuerat in praecedentibus responsionibus sui interrogatorii. Quae rationes evidenter non Mirellae, sed **matri conventi** arridebant.

Dolendum sane est quod in eiusmodi gravem errorem Patres appellati inciderint, ex quo probabilius pendit cuncta causae aestimatio. Nam per rectam verborum relatorum interpretationem fides rependi et restitui debet omnibus testibus, quos appellata sententia immerito mendaces habuit eo quod contrarium (immo desperatum) animum Mirellae referunt ubi ista rescivit amasiam aliam mulierem esse

ducturum. Potissimum insuper per id fugatur suspicio eiusdem decisionis de consuetudinis ruptura inter conventum et Mirellam intuitu matrimonii cum actrice.

14.—Vir igitur in iudicio asseruit se contraxisse exclusa fidelitatis obligatione; nec sustinentur difficultates contra eiusmodi assumptionem; acta e contra comprobant matrimonii nullitatem hoc ex capite.

15.—Actrix coram iudice nihil quidem de intentione Sergii ex tempore ante nuptias adducere quivit; sed ipsa retulit multa de circumstantiis ex quibus vehemens praesumptio eruitur de consensu a convento ficto praestito.

Mulier revera fassa est se captam esse vero amore in sponsum, dum iste semper «freddo nei miei riguardi» se gessit. Hoc haud obstante, Maria paratam se habuit ad nubendum Sergio quia sperabat res post nuptias esse maturas. Praeterea, durantibus sponsalibus, vir iterum atque iterum occursum differre cum puella consuevit, variis adductis excusationibus; proinde «ero sempre io —ait mulier— che cercavo di vederlo». Quin et matrimonium conventus pluries distulit celebrandum: «ero io —actrix refert— che desideravo sposarmi quanto prima. Alle mie proposte di matrimonio, il Sergio obiettava sempre che mi avrebbe sposata, quando mi fossi laureata»; «mio marito rimandava sempre». Quod et appellata decisio Rotalis, prouti superius diximus, aperte admisit.

Quamvis ante nuptias numquam inter sponso sermo adfuerit de matrimonii natura et obligationibus, adeo ut mulier nesciret «cosa ne pensasse il Sergio in proposito», attamen agendi ratio viri post nuptias optime congruit cum asserta exclusione fidelitatis. Statim aversum Sergius se praebuit suscipiendae proli ex uxore atque tantummodo fortuito mulier praegnans facta est. Insuper post matrimonium «quasi subito —actrix enarrat— divenni sospettosa della fedeltà di mio marito, anche perchè di solito evitavo i rapporti intimi e quelle rarissime volte che li ammetteva, li faceva perchè forzato da me; adduceva sempre la scusa di essere stanco e di non averne voglia e spesso si rifiutava addirittura». Consummationem distulit sponso in secundum post initum connubium diem, nam «la prima sera, mio marito si assentò con la scusa di impegni professionali ed al ritorno disse di essere stanco. Fu consumato la sera dopo, per mia iniziativa, ma senza trasporto da parte di lui». Denique: «In occasione del parto prematuro, mi portò —ait mulier— in ospedale e si disinteressò affatto di me. Dopo non mi voleva più in casa... Io decisi allora di ritornare a casa dei miei... Ma lui non si fece mai vivo. Dopo un mese,

ritornai a casa da mio marito... ma i rapporti ormai erano divenuti quasi impossibili per cui io resistetti ancora un anno ed alla fine del 1959 decisi di separarmi». Reapse paulo post secundum convictus acti annum coniuges in perpetuum separati sunt. Nec alia fuit ratio praeter viri infidelitatem.

16.—Testes praecipue confirmant viri conversationem cum Mirella, ante nuptias inceptam et numquam intermissam, atque insuper conventi panditam ante matrimonium intentionem numquam ab amasia descendendi. Id autem evenit contrahente viro connubium cum actrice tantummodo ut morem gereret suae matri ac ex rationibus oeconomicis.

Humbertus, qui ex frequentatione amicali cum convento asserit istius consuetudinem cum Mirella numquam fuisse interruptam, episodium refert gravissimum quoad intentionem viri in contrahendo; testis namque deposuit: «Ricordo che due o tre giorni prima del matrimonio, mi telefonò la Mirella che aveva saputo che il dottor Sergius si sposava con un'altra ragazza. Era disperata. Io andai a prelevarla in macchina e la condussi a casa mia. Poco dopo arrivò anche il dottor Sergius... Fu una scena tragica. La Mirella protestava che non doveva andare a sposare una donna contro la sua volontà, ma lui, piangendo, diceva di esservi costretto, perchè non voleva far morire sua mamma, affermando nello stesso tempo che non avrebbe mai abbandonata la Mirella». Nec agebatur de vana promissione, cum reapse paulo post testis valuit adhuc «uscire insieme a Sergio ed alla Mirella».

Episodium confirmatur etiam a Mirella, cuius asseverationes de promissione conventi iam superius retulimus. Testis insuper deponit: «prima del matrimonio... lui mi presentava come sua fidanzata... dopo il matrimonio, per un pò di tempo, avevamo un pò di prudenza per non farci vedere assieme... Dopo circa due mesi cominciammo a frequentare liberamente la compagnia». Sed amplexus inter eos numquam cessaverunt.

Guido excludit consuetudinem conventi cum amasia interruptam fuisse ante nuptias aut post celebratum matrimonium; ipse etenim testatur se eos vidisse «frequentarsi più o meno fino a quel periodo, anche se con minor assiduità di prima».

Anna refert episodica sive ante sive die nuptiarum sive post matrimonium facta, ex quibus clare patet conventum coram amicis exhibuisse Mirellam tantum sponsam atque virum tradidisse nullum ius exclusivum in corpus suae uxori.

Eadem scitent ex depositionibus testium Caroli et Thomae. Nec aliter ex aliorum testium depositionibus.



17.—Quorum igitur asseverationibus cunctis collectis evincitur conventum in contrahendo non valedixisse consuetudini cum amasia, immo iam ante matrimonium positivam intentionem fovisse ac pandisse servandi erga Mirellam obligationem in actus sexuales cum ipsa ideoque sponsae non tradidisse exclusivum ius in eosdem.

Comprobant rem plures epistolae in actis exstantes. Una ex parte per eas ostenditur Sergium neglexisse sponsam ac dein uxorem; altera ex parte, litterae missae ad Mirellam patefaciunt aestuantem conventi amorem erga amasiam, prouti inter alias demonstrant epistolae conscriptae mense iulio anno 1957, idest tribus mensibus ante matrimonium celebratum cum actrice: «da Sergio —ita vir ad Mirellam— avrai tenerezza e il suo amore e il suo corpo». Quam intentionem conventus numquam deposuit, immo constanter factis haud ambiguis confirmavit.

18.—Patet insuper exinde quaenam exstiterit causa simulandi in viro contrahente, quae fuit certissime amor vehementissimus Sergii erga Mirellam. Nec ideo accipi possunt quae Vinculi Defensor deputatus scribit circa defectum causae simulandi, ex reiecto (duplici sententia) capite metus. Non fuit metus quatenus coactionem dicit causa simulandi in viro convento, sed Istius Ingenium necnon aversio ad invidis nuptiis et flagrans inclinatio in aliam puellam. Ibi sane fuit ratio non tradendi uxori exclusivum ius

in suum corpus, nempe non suscipiendi obligationem fidelitatis erga ipsam. Quam tamen ducere veluti coactus vir conventus debuit, instantiis quidem matris et rationibus oeconomicis, haud vero deposita intentione praevalenti contra matrimonii proprietatem essentialem seu bonum fidei.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, declaramus, pronuntiamus et definitive sententiamus, ad dubium propositum respondentes: **«Negative ad priorem partem et affirmative ad alteram, seu sententiam Rotalem diei 6 mensis februarii anni 1968 infirmendam esse, in casu, ideoque constare de matrimonii nullitate, in casu».**

Partem autem actricem damnamus ad iudicii expensas omnes solvendas.

Ita pronuntiamus, mandantes locorum Ordinariis et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut hanc Nostram definitivam sententiam notificent omnibus quorum interest, et executioni tradant ad omnes iuris effectus.

Romae, in Sede Tribunalis S.R. Rotae, die 28 m. februarii a. 1970.

Henricus Ewers, Ponens
Ovidius Bejan
Arcturus De Jorio

